



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fvldensivm Antiqvitatvm Libri IIII.

Brouwer, Christoph

Antverpiæ, 1612

Capvt XXIII. Motus sub VViderado Abbate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39712

Bernhardus
Hersfelden-
sis Abbas vi-
uit laxius.

densem Abbatem narrat, opibus licet & dignitate clarum, laxius ta-
men habuisse disciplinam; atque biennio ante obitum, valetudinis caus-
sâ concessisse in monasterium S. Petri, quod ipse trans Fuldam vicino
in monte condiderat. Ibi cum procul curis, inter militum & familia-
rium scilicet cætus viuit mollius, ut communium fratrum in magnâ
rerum inopiâ querelas irritauit, ita cænobij primoribus vite solutioris

Hersfelden-
sium cænobi-
tarum disso-
luta vitam

aditum aperuit. Vbi igitur cænobitæ Hersfeldiæ, loquor verbis anti-
qui scriptoris, instar Canonicorum res proprias sibi vsurparent, habe-
rentque & priuatas aedes & equos, & magnam cultiorum vestium
copiam, aliaque id genus mundi huius pompas & fastum redolentia;
possentque pro suo arbitratu & dare & accipere, & agere conuiuia

S. Gothardus
astringit, mu-
tatis ædificiis
& religioni
aptatis.

præter fas & decorum, S. Gothardus, iussu rogatuque Henrici Regis,
huc in locum defuncti Bernhartij missus est: qui monasticæ famæ decus
abolitum illic reparauit; ipsamque ciuitatem Hersfeldiam à superuaca-
neis & ineptis ædificiis liberatam, monastico cultu, aptisque sedibus

Monachos
& aliunde
adducit.

instruxit; adductis eò præstantibus integritate morum aliunde cænobi-
bitis, quorum exemplo scilicet inquilini saperent. Ceterum obscurius
nostrates, horum conditionem temporum attigere; dedecoris

Fulda confi-
milis refor-
matio.

metu, an reuerentiâ maiorum. In actis Abbatum sic lego: Anno

Chron. Frã-
cofax. lib. 4.

Domini MXIII. mense Maio, ab Occidente ventus insolite irruit, hic

Ædificia fa-
cultaria sub-
rua Imp.

plura subruens ædificia, & malorum portenta afferens: nam Iunio

iussu.
Brantochus
Abbas amo-
tus.

mense, quamquam splendide exstructum sub gremio S. Bonifacij mona-
sterium, iussu Imperiali solo tenuis exstirpat, quasi barbarico superuo-
litante incendio. Quin & momento temporis ipse Abbas huius loci,

Cænobite
dispersi.

Brantoch nomine, ordine suo & solio sine humano iudicio est destitu-
tus; omnisque ferè congregatio extricata, incertis sedibus fatigabatur:

Laurisheim
mensi mona-
sterio euocati
nouj.

nec non Lauresheimenses fratres, cum suo pastore, in locum nostrum
sunt subrogati. Attamen vel per obscuri sermonis nebulam, in-
telligitur hic facile cum Hersfeldensibus Fuldenses eadem

cenfurâ oppressos.

CAPVT XXIII.

Motus sub Wviderado Abbate.

Wvideradi
Abbatie pro-
cella.

ALIA adhuc huius monasterij à capite diuisio, quæ qui-
dem notabilis extiterit, incidit in Wvideradi Abbatis re-
gimen, quæ ipsius quibusdam erratis, ut nihil ex omni parte
beatum

beatum inter mortales, concitata, plus audaciæ, temeritatis, & mali exempli, quàm discriminis habuit; compresso mox, & inter initia castigato iuuenum malè consulto furore, qui auctores seditionis extiterant. Rei gestæ seriem scriptor coætaneus Lambertus, quia prolixè euoluit, ac propè tragicè eamdem exequitur, hūc adire Lectorem equidem malim. Coniuratio certè grauis illa fuit, sed coërcitio immoderatio, cùm ad sæcularia tribunalia tracti viri sacriati & ignominiâ publicâ notati, verberibus plagisque seruilibus excepti, tergo denique luerunt. Sed hoc quidquid disciplinæ serenæ nubilum interfusum, Scoticæ gentis monachorum insignis, quæ per hosce annos in Fuldensi congregatione floruit, pietas ac religio discussit. Nam Marianus Scotus, vbi Christi amore peregrinum solum natali antetulit, B. Amichadi reuerentiâ memoriaque tactus, Fuldæ includi se voluit; atque ita decennio præclari ingenij animique sui dotibus monasterium hoc illustrans, seuerioris vitæ doctrinæque multifariâ hîc igniculos sparsit iecitque. Ipse in sancti Amichadi discessu: *Ego Marianus Scotus decem annis inclusus sive per pedes (B. Amichadi) stans quotidie cantauit Missas.* Verùm nec ita quidem plenè sese erigere monastice potuit, quin, superantibus interdum vitiiis, mores antiqui profluerent, & cupiditatibus sanè multi fræna laxarent. Faciem illam monasticæ labentis vicinus nobis Lambertus ad annum MLXXI. expressit. Nec reor communis periculi exfortes Buchonios degisse, quando vndecimo sæculo superueniente, queri audio liberè domesticos, omnia tristia, cunctasque calamitates, quoddam habuisse Fuldæ regnum: & Gotifridum quoque Abbatem, ob Henrici factionem, loco motum. Censuram tamen in corrigendi auctoribus pretium est annotare. quæ longè fuit certè à sæculi nostri conditione. Quid enim huius ætatis à Luthero censors, à Caluino reformatores? pennas nimirum incidi oportere cœnobitis, ne renasci possint; exsecari eorum artus, vt ne vniquam coalescant. Quin voti ac operæ fuerit has Libani cedros, has felicissimas arbores in Ecclesiâ Dei, abusque radice truncare, quò crescendi spem posteris omnem prorsus eripiant. Renouant igitur ipsi quotidie, & vt sunt mirabilium rerum captatores, à Pharaonis ætate miracula repetunt, imitantes scilicet macras illas & ob

In anno
1063.

Scoti monachi Fuldam adunt, in quibus & Marianus.

In anno
1059.

Corruptela cœnobiorum.

Eorum censura, & corrigendi modus salubris. Vt contra hæreticorum extitit.

famem

o veri
riquitate
denses.
TV
9

famem inexplebiles, regis Memphitici boues, quæ consumpto immensaque ingluuie vorato nitido & opimo pecore, pristina tamen macie & deformitate suâ squalabant. Ita, cum multis in hac Germaniâ nostrâ dynastis tanti Christi patrimoniorum acerui non pluris fuerint, quàm si imbrem in cribrum gessissent, facile patuit, sacrilegia nulli ætati stabile vectigal peperisse, quin dominis plerumque suis, vt aurum Tolosanum, perniciem attulisse, fugaci semper exitu reperto, vnaque comitibus relictis penuria pœnaque. Quamobrem sapientissimi maiores nostri longè meliore cõsilio, solertes secuti agricolas, quos inter cœnobitas soli cæliq. conflictari iniuriis, nec fructus vberioris spem sustinere cernerent, eos in arua deducere lætiora, vel infitionibus adiutare non piguit, magnâ singularique curâ, trans Alpes mariaque petitis & euocatis monachis; quorum opera vigilantiaque maciem soli sterilem, & in praua denascentis, edomarent, ac denique peruincerent. Vt enim cultores hortorum ij, qui tuendis, nouandis, repurgandisque viridariis suis assidue intenti, germina alia erigunt vincuntque soluta, alia obtegunt teneriora, alia aduersus plagæ frigidioris infestationem defendunt,

Inutilesque falce ramos amputant,

Feliciores inserunt:

perinde Antistites haud pauci cordati, ne plantaria hæc religionis eximia, & stirpes virtutis omnigenæ feraces, perirent funditus & exarescerent, ex Italiâ, insulisque Britannicis, aliisque melioribus locis cœnobarum quasdam transtulere propagines, quorum indole & germanâ culturâ, siluescentes aliorum animi reuiescerent, & ab æstu sæculi, horum scilicet & irrigatione ac benigno fotu reuocati, crescerent ad fructum immortalitatis. Quod certè studium cum in aliis, tum in Annone magno Colonienfis tum ecclesiæ sanctoque sacerdote, præcipuè laudatum est. Ceterum, tametsi plurimis Germaniæ monasteriis non ignorem hanc insedisse tabem ambitus & avaritiæ, quam mirè Lambertus exaggerat, non paucis tamen hac ætate locis aliis, obseruo emeruisse raram disciplinæ morumque sanctimoniam; nec non per Alemaniæ Sueuiæque fines, media inter schismata, admirabilem exarsisse in hominum animis, communis

*Translatio-
nes & propa-
gationes cœ-
nobarum.*

*S. Annonis
in hoc genere
studium.
Berthol. in
Chron. Con-
stant.
Petrus Clu-
niacen. epist.
variis.
Monastica
& vita com-
munis in A-
lemanâ, &
Cluniaci in
Burgundiâ
florat.*

munis vitæ feruorem. Etiam in Burgundiâ tunc nata Cluniacensis monasterij castigatio viuendi ratio: quæ cum latissimè ad alia Germaniæ loca disseminata fuit, tum anno Domini MLXXXV. in vicinam nobis Thuringiam, ad asceterium Rheinersbornæ, ocellum & delicias, veterum Thuringiæ & Hassiæ dynastiarum, peruënit; vbi à Luduico secundo Comite, cui nomen à saltu, magnifica sedes familiæ S. Benedicti recens condita; & vnà istuc ex Hirsaugiensi monasterio deducti cœnobitæ, instituti Cluniacensis æmuli. Huius autem tum efferuescentis disciplinæ frigida hæc Buchoniæ loca num quidquam afflarit, ambiguus, vel neganti propior, nihil in vtramque partem habeo, quod affirmem.

Histor Lan-
gr. Thuring.
edit. Ioan.
Pistorij.
Rheinersbor-
na monaste-
rium S. Be-
nedicti Clu-
niacen disci-
plinâ.

CAPVT XXIV.

*Descriptio reliqui status vsque ad seculum
decimumtertium Christi nati.*

TRISTIOR etiam hinc Abbatia facies extitit, cum Ehrloffus ex Morbachensi monasterio, renitenti quoque Congregationi, malo more & exemplo, Abbas ab Henrico Imperatore anno salutis MCXIII. datus. Et huic animus licet bonus, causa tamen erat mala à schismate; vt quidquid ageret, & quoquò se verteret, odium à suis meritò referret ac inuidiam. Fuit, cum ipse cœnobitas quoque captiuos habuit in exedrâ piaculari: iamque fortunæ prisce permultùm sanè vacillabant, & ob asperitatem censuræ filij palàm discordes, patrem auersabantur. Interea Mars & bellantium furor ecclesiam quacumque peruadebat. Quare Ehrloffus, refero cum priscis, *tamquam astrum fatale exagitabatur*, postquam in communi patriæ & monasterij luctu, anno ab ortu Christi MCXX. pars maxima veteris templi, versus Orientem, ruinâ suâ procidit. Venerat id temporis Fuldam Henricus Imperator lectissimo procerum cœtu ordinis vtriusque comitatus. qui cuncta hîc hauista exinanitaq. cernens, inopiæ nec inopinatæ quidem ingemuit, at subleuandæ non fuit. Tanta quippe erat sacri profligatio patrimonij, vt

Ehrloff Ab-
bas regimen
inquietum.

Bellorum &
populationū
mala.

Basilicæ Ful-
densis ruina.

Monasterij
inopia, quam

N lus